



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes
Coloniae Agrippinae, 1657

Decretvm IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

lendarium Nostrum Osnabrugense observentur; & Archidiaconi locorum in prævaricatores quoscumque seriò animadvertant.

DECRETVM VI.

IN Processionibus ordo, in Agenda præscriptus, diligenter seruetur, abrogatis omnibus vanis, ludicris, supersticiosiis, & maxime equitationibus cum Venerabili Sacramento, aliisque abusibus.

DECRETVM VII.

DEcani rurales intra XIV dies Consistorio Nostrò mittens numerum Synodorum, Ritualium seu Agendarum, Proprii Sanctorum, & librorum Missalium Diocesis Osnabrugensis, quos singuli Pastores, juxta Decretum in ultima Synodo desuper emanatum, remissis antiquioribus & abrogatis, sibi compararunt.

DECRETVM VIII.

Sedes confessionales, in omnibus Ecclesiis, in loco patenti erigantur.

DECRETVM IX.

Lampades & lumen perpetuum, ubi fieri potest, ante augustissimum Eucharistiæ Sacramentum procuretur.

DECRETVM X.

Sacramentum Extremæ unctionis non, uti hæctenus à plurimis Pastoribus factum, posthac negligatur, sed ejusdem usum denudò pro salute animarum introducere allaborent.

DECRETVM XI.

Catechismus, rōties à Nobis inculcatus, & promovendæ fidei Catholicæ maxime necessarius, sub pœna arbitraria singulis diebus Dominicis, etiam si pauci tantum compareant, nunquam intermittatur.

DECRETVM XII.

Scholæ in omnibus locis Catholicis instituantur; & privatae in Burschapiis, Embslandiæ præsertim, quæ hæctenus irrepere, severe prohibeantur; aut, ubi ob inundationes aut locorum distantiam erigi debent, accuratius iisdem per Pastores invigiletur; & ad Nos referantur.

DECRETVM XIII.

Nemo Pastorum in Ecclesiis ac Synodis sine bireto, ac toga talari, sub pœna duorum florenorum Rhenensium posthac compareat.

DECRETVM XIV.

Ædes in Cœmeteriis & Immunitate, collapsæ, non reedificentur.

DECRETVM XV.

Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum decentius & augustius in Sacratio, sufficienter ad hoc exornato, asservetur.

DECRETVM XVI.

IN celebratione divinorum Officiorum, majorem quoque in ministris attentionem, devotionem, ædificationem, & frequentiam requirimus; cum maledictioni divinæ subjiciantur, qui Officium Dei faciunt negligenter: uti & majorem tarditatem in cantu; cujus melodiæ dignitas, gravitas & splendor, ac devotio, potissimum in tarditate & pausatione consistit, eumque gratiorem & suaviorem reddit audientibus.

DECRETVM XVII.

Cum, vigore Concilii Tridentini, & juxta Cardinalium Declarationes, tanta sit obligatio celebrandi vel præstandi Missas, in fundatione & erectione beneficiorum imposita, ut in iis moderandis, reducendis vel commutandis, solus Pontifex sibi potestatem reserverit; constet verò per experientiam, quam plurimos beneficiorum possessores, in hac Nostra civitate præsertim, quibus ex ipsa fundatione certarum Missarum, singulis septimanis vel diebus præstandarum, onera incumbunt, minimè ea præstare, adeoque contra fundatores, sese injustos & crudeles exhibendo, gravissime peccent, ac simul in conscientia ad restitutionem teneantur, nisi dispensationem obtinuerint, prout in Nostris Synodis sæpius declaravimus: hinc omnibus Vicariis, Capellanis, & Beneficiatis, cæterisque hujusmodi Missarum obligationibus gravatis, severissime mandamus, ut, salutis suæ magis memores, numerum à fundatoribus impositorum sacrorum statutis diebus in posterum celebrent; in dubiis, ubi fundationes forsan non extant, aut de fundatorum voluntate non constat, ad Nos recurrant, ac remedia debita expectent.